

quiritur. Donationis exemplum habemus in Principe Umberto, qui Anno 1349. Regi Galliae Delphinatum dono dedit, hac conditione, ut Regis filius natus maximus Delphinus inde diceretur. Pacta Gentilitia (alias foedera Familiarum, Erb-Verbrüderungen/) domi habemus inter Domum Saxoniam cum Landgraviis Hassiae, sicut olim cum Comitibus Hennebergicis. Quemadmodum etiam Lusitiam utramque Clementissimis nostris Principibus titulo emptionis subjectam gratulamur.

XX. Inter haec verò media humana extraordinaria, cum omnia sint perquam rara, rarissima tamen Sors & Fors merentur appellari. Sors adhibenda est in Electione, si 1.) Candidati Imperii sunt aequales virtute, nobilitate, divitiis; & 2.) si vota sint paria, *vid. Petr. Greg. Tholos. L. 7. de Rep. c. 14.* Sed jure meritoque tentantur, potius omnia, quam ut negotium tanti momenti incertae forti committatur.

XXI. Fors fuit medium olim multorum ad regnum perveniendi. Darius Hystaspis per Hinnitum equi Rex Persarum creatus fuit: Gordius ad Jovis templum se conferens à Phrygibus obtemperaturis Oraculi Responso Rex creatus est. &c. Evolvatur *Herodotus, Justin.* priscaque illa videatur & irrideatur superstitio.

XXII. Rectè verò inter extraordinaria media refertur etiam bellum, tanquam violentum, & à Statu naturali vel maxime alienum. Quamquam enim sic comparatum est, ut sub debitis circumstantiis gestum inter legitima media numerari possit, transitum tamen ad illegitima nobis facit eò commodius, quò frequentiora sunt bella injusta. De utrisque verò vel pauca dicere velle, cum *H. Grotius* hoc argumentum pertractaverit amplissimè, esset post Homerum Iliada scribere.

XXIII. Reliqua media illegitima sunt quaelibet vis, largitio, fraus, &c. Sic vi Abimelech & caede 70. fratrum fasces accepit, *Jud. 9.* Sic Selimus superiori seculo interitu patris Bajazethi II. & fratrum Acomathi atque Corsuthis diadema Turcicum sortitus est. Largitio in prima Aetate Imperii Romani clavum tenentibus Imperatoribus Ethnicis, tritissima via ad Regnum fuit. Sic Galba, Otho, Julianus, aliique aureis gradibus ad tantum culmen honoris pervenerunt.